



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

II. Deteguntur mendacia Centuriatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

## CAPVT II.

*Deteguntur mendacia Centuriatorum.*

**N**ITIO igitur de origine venerationis & cultu reliquiarum mirabiliter disputant Magdeburgenses; nam Cent. 6. in ipsa præfatione dicunt eo seculo, nimirum post annum Dñi CCCC. cœpisse cultum reliquiarum occasione templorum, quæ ingentibus sumptibus extruebantur. Iidem tamen Cent. cap. 7. colum. 744. dicunt, cultum reliquiarum ipso quinto seculo, id est, ante annum CCCC. cœpisse. Non ergo verum est, quod dicunt in præfatione Cent. 6. PORRO iidem auctores Cent. 4. cap. 6. colum. 456. & cap. 13. colum. 1446. dicunt, superioribus seculis, id est, vsque ad annum CCC. nihil haberi in probatis auctoribus de veneratione & translatione reliquiarum, sed cœpisse istam superstitionem seculo quarto, quando iussu Iuliani Apostatæ reliquiæ sancti Babilæ translatae fuerunt. Quæ translatio cum summo celebritate facta est circa annum Domini CCC. LXV. & tunc tempore Iulianus imperauit, vt S. Hieronymus relat in Chronico: non ergo verum est, quod scripserunt Magdeburgenses Cent. 5. & 6.

Sed neque est verum, quod in ista Centuria 4. dicunt, præter additionem ad primam Centuriam, in vita S. Lucæ, fatentur iidem Centuriatores, ante tempora Iuliani fuisse translatas summo cum honore reliquias S. Andreae & S. Lucæ Constantinopolim à Constantino Imperatore, vt B. Hieronymus testatur libro contra Vigilantium.

Præterea Cent. 2. cap. 3. col. 31. & sequentibus referunt verbum ex historia Eusebij lib. 4. cap. 15. epistolam Ecclesiæ Smyrnenfis de martyrio Polycarpi; in qua epistola narratur, Christianis cupientibus reliquias Martyris, & Iudæis pertinacissimè resistentibus, iudicem Euthnicum voluisse corpus in medio positum cremari vsque ad cineres: & tamen Christianos collegisse incredibili auiditate reliquias illas: *Ac si essent* (inquit epistola) *lapidibus preciosissimis preciosiores, & auro probatissimo probatiores.* Eas autem reliquias à Christianis collectas ad cultum, patet tum ex verbis

citatis, tum ex contentione aduersariorum. Iudæi enim atq; Ethnici resistebant, ne reliquiæ raperentur prætextu pietatis. Existimabant enim corpora à Christianis adorari, vt in eodem loco Eusebius testatur: non ergo verum est, quod dixerunt, Centuria 4.

Sed neque tunc cœpit honor reliquiarum; nam beatus Gregorius lib. 3. epist. 30. scribit; ipso tempore, quo Petrus & Paulus passi sunt, venisse fideles ab Oriente, qui eorum reliquias tanquam suorum ciuium peterent; sed cùm eas detulissent vsque ad secundum lapidem ab vrbe, diuino miraculo impeditos, non potuisse vterius eas deferre; tum verò à Romanis fidelibus apud Catacumbas reconditas fuisse. Vnde postea Cornelius Papa (vt in Pontificali Damasus refert) transtulit ad ea loca, vbi nunc iacent. Itaque de origine cultus reliquiarum quatuor mendacia inter se pugnãtia Magdeburgenses protulerunt.

SECUNDVM mendacium est Cent. 4. cap. 8. col. 602. vbi postquam dixerunt, rectè & piè Vigilantium contra reliquias scripsisse, Hieronymum autem solis conuiciis & importunitate pro reliquiis pugnasse, addunt Gregorij testimonium: *Id quod (inquiunt) etiam Gregorio visum est, qui de scripto Hieronymi contra Vigilantium ita censuit; in Vigilantium ita conuictis debacchatur Hieronymus, et plus uulm in eo modestia cogar desiderare.* At ista verba nullius Gregorij sunt, sed Erasmi in argumento ad librum B. Hieronymi contra Vigilantium.

TERTIVM est Cent. 5. cap. 6. col. 699. vbi sic habent: *Augustinus (inquiunt) de reliquiis Stephani scribit, superstitiosum, & magnum concursum multitudinis ad eas in Africam vsq; factum, dementatis populis quibusdam illusionibus, que pro miraculis habita sunt, libro de ciuitate Dei 22. cap. 8.* At si legamus totum istud caput, quod ipsi citant, non inueniemus vsquam nomen superstitionis, vel illusionis, sed tantam pietatem erga sacras reliquias, vt hic locus Augustini satis esse videatur ad omnes hæreticorum nebulas dissipandas. Inter alia multa sic ait de quodam miraculo: *Clarissima fœmina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat, ampla ciuitas, ampla persona, rem quærentes latere non sinunt, &c.* Et infra: *Vnum est apud nos factum, nõ maius quàm illa, que dixi,*

KKKkkk

dixi,

dixi, sed tam clarum atq; illustre miraculum, ut nullum arbitrer esse Hipponensem, qui hoc non vel viderit, vel didicerit, nullum qui obliuisci & narratione potuerit.

Neque est hoc Magdeburgensium solum mendacium impudens, sed etiam peccatum in Spiritum sanctum, quod Dei miracula testatissima illusiones vocent: & pratercaet insania manifesta, cum beatum Augustinum, virum sapientissimum, quasi pueriliter ludentem faciant. Nam cum beatus Augustinus toto illo capite probate contendat, sedem Catholicam non carere veris miraculis: nonne potius insaniret, secumque ipse, & cum fide pugnaret, si miracula, quibus fidem probari dicit, illusiones ipsemet appelleret, & populum, qui illis credit, superstitiosum, & dementem diceret?

QUARTVM mendacium est omnino simile superiorum eadem Cent. 5. cap. 15. col. 1506. dicunt, reliquias Martyrum ab Ethnicis contemptras fuisse, & in eo melius sensisse quam superstitiosi Christiani sentiant, Theodoro auctore lib. 8. de Martyribus. Atqui Theodoretus eo libro nusquam habet, melius sensisse Gentiles de reliquiis, quam Christianos, sed omnino contrarium asserit, & defendit. Vide locum, & iudex esto.

QUINTVM est Cent. 4. cap. 13. col. 1446. ubi referuntur hiberniam de translatione S. Babylæ, ex Rufino lib. 1. cap. 36. quod enim oraculum Apollinis obmutuerat ob viciniam sepulchri S. Babylæ, & ideo Iulianus Apostata iusserat inde amoueri arcam Martyris: dicunt Centuriatores Diabolum de industria simulasse se impediri à Martyre, ut ea ratione occisionem daret celeberrimæ illi translationi, & sic introducerent usum translationis, & venerationis reliquiarum.

At istud mendacium est impudentissimum; nam impudenter repugnat omnibus auctoribus, qui de hoc miraculo scribunt; nimirum Chrysostomo libro contra Gentiles, Rufino lib. 1. cap. 36. Socrati lib. 2. cap. 18. Sozomeno lib. 5. cap. 19. & Theodoro lib. 3. cap. 10. Deinde miraculum sequens clarè ostendit, Diabolum serio timuisse; nam vix arca Martyris inde abducta fuerat, cum descendit ignis de caelo, & idolum, unde Diabolus fundebat oracula, totum consumpsit.

Præterea non fuit ista prima translatio reliquiarum; nam, ut iam ostendimus, multæ antea præcesserunt, & idem corpus sancti Babylæ antea fuerat translatum ex Antiochia ad suburbium istud Daphnes, ut Chrysostomus docet; unde postea Iulianus iterum Antiochiam transferri iussit. non ergo potuit Diabolus illa simulatione velle introducere vsum translationum: Præterea si Diabolus ita cupit istam idololatricam erga reliquias, cur semper instigavit Iudæos, Ethnicos, & Hæreticos, ut abolerent omnes reliquias?

SEX TUM mendacium est in eadem Cent. 4. cap. 13. col. 1447. ubi referunt ex Gregorio Nazianzeno oratione prima in Iulianum, duos adolescentes nepotes Constantij Imperatoris Gallum & Iulianum, volentes exstruere insignem Ecclesiam supra tumulum Mamantis Martyris, inter se divisisse opus; sed partem illam, quæ exstruebatur à Gallo vere pio, & fidei, felicissimè processisse: partem autem, quæ exstruebatur à Iuliano, qui apostata futurus iam mente corruptus erat, non potuisse vnquam coalescere, quod terra in solito more contremiscens, continuè quasi euomeret, quidquid Iuliani sumptibus in fundamentis proiiceretur. Causam huius miraculi Nazianzenus dicit fuisse, quod sancti Martyres inter se mirificè diligant. idè enim Martyrem, cui templum exstruebatur, honorem illum recusasse, quod nollet ab eo honorari, à quo collegas suos contumelia afficiendos prævidebat: & ipsum etiam Deum, qui corda intruetur, opus Galli, tanquam Abelis sacrificium admisisse, opus Iuliani, tanquam sacrificium Cain abiecisse. Sic igitur Gregorius.

At nostri Centuriatores de hoc miraculo duplicè sententiam proferunt. Aiunt PRIMO, temeritatem esse credere, illud portentum opera Martyris accidisse, propterea quod Martyres nō sunt *καρδιογνώσαι*, & dormire dicuntur. ita illi loco citato, col. 1445. At licet nō sint Martyres ex natura sua *καρδιογνώσαι*, id est, cordium scrutatores; quis tamen impedit, quò minus cordium cogitationes illis reuelentur à Deo? & licet dormire dicantur, quia requiescunt à laboribus suis, tamen non sic dormiunt, quasi non videant, nec intelligant; nam si ita esset, tum etiam nec viuerent.

KKKkkk z

Addunt

Addunt SECUNDO, columna 1447. Deum impediri fabricam Iuliani, vt indicaret, sibi displicere cultum illum superstitiosum Martyrum. At si ita est, cur non impediri fabricam Galli, qui eidem Martyri operam dabat? An etiam Deum dormiuisse dicent, ac fortasè Galli fabricam non vidisse.

Mendacium SEPTIMUM est in præfatione sextæ Centuriæ, vbi dicunt, à nobis diuinis honoribus coli reliquias atque easdem etiam, ac si viuerent & sentirent, suppliciter inuocari: *Cæperunt, inquit, exanguia, & semicorrolosa coli, inuocari, diuino honore affici.* Eadem ferè habet Calanus in libro de necessitate reformandæ Ecclesiæ: *Nec solum inquit, Sanctos Christi loco adorant, sed etiam eorum vestes, calces, & simulacra.*

At quis vnquã Catholicorum reliquias inuocauit? Quis vnquam auditus est in precibus, aut litanis dixisse: *Sanctæ reliquia, orate pro me?* Et quis easdem vnquã diuino honore affecit, vel Christi loco adorauit? Nos enim reliquias quædam honoramus & osculamur vt sacra pignora patronorum nostrorum: sed nec adoramus vt Deum, nec inuocamus vt Sanctos, sed minore cultu veneramus, quàm Sanctorum spiritus, nedum quàm Deum ipsum. Ita respondit etiam ob hoc Hieronymus Vigilantio idem obijcienti: & multò etiam etiam idem responderunt discipuli S. Polycarpi apud Eusebium loco antea citato, lib. 4. hist. cap. 15.

## CAPVT III.

*Asseritur veritas, & probatur.*

**N**UNC ad argumenta pro veritate accedamus. PRIMUM sumi potest ab exemplis Scripturarum. Exodi 13. Moses discessurus cum populo ex Ægypto in palæstinam, noluit ibi relinquere ossa sancti Iosephi, iam dudum mortui, sed ea honorificè secum asportauit, & transtulit in terram promissionis: *Non ergo superstitiosum neq; nouum est, transferre ossa Sanctorum,* vt Magdeburgenses in singulis Centuriis clamant. Ita Deuter. ultimo, Deus ipse (vt Hieronymus contra Vigilantium